

M P V I

1 6 3 1

Ny
3027



- I. Epithalamia mihi M. Iera conscripta.
- II. Elegia dua mihi et Collegis meis in Senatu conscriptae.
- III. Nuptiis Johannis Grubii et Charitatis Hirscheriana conscripta Caermina
- IV. Nuptiis Petri Matthaei Wesenbecii et Sarae Osterosia.
- V. Nuptiis Valerii Ruchgeri et Dorotisea Mariae ab Enden.
- VI. Nuptiis Johannis Hamelii et Magdalenae Hulderiana.
- VII. Gratulatio Johanni Fabrius Consuli et Collegis.
- IIIX. Nuptiis Andreae Woltzei.
- IX. Leisepredij L. M. Casparo Ulrich Angelen
- X. Nuptiis Dn. Rudolphi Principis Anhaltinae et Comitissa in Oldenburg
- XI. Nuptiis M. Caroli Jacisii.
- XII. ~~Leisepredij~~ L. M. Casparo Ulrich Angelen
- XIII. Nuptiis Frederici Hamelii.
- XIV. Nuptiis Matthaei Woltzei.
- XV. In Obitum Dorotisea Hagen Dn. Wendelini filio.
- XVI. Propemptica Dn. Martino Fuschio scripta.
- XVII. Nuptiis Dn. Johannis Ernesti Eidermanni.
- XIIIX. Leisepredij Amy. Egidij Wuyntzer gratulatio
- XIX. Propemptica Dn. Johanni Sturmio scripta.
- XX. In Honorem Magistrus Frederici Steffonis et Ernesti Wulstoppii.
- XXI. Leisepredij L. M. Johanni Brendelio gratulatio
- XXII. Nuptiis Dni Frederici Grubij.
- XXIII. Leisepredij J. Ernesto Von Lotzham gratulatio
- XXIV. Gratulatio ad Dn. Rudolphum Principem Anhaltinum de filio
nato Johanne.
- XXV. Nuptiis Johannis Mutii.
- XXVI. Leisepredij Amy. Dorschii Eisdorf Valerii Wulstoppii gratulatio
- XXVII. Ad Dn. Augustum Homagii accipiendi causa Erwig in ingressu
- XXIIIX. Nuptiis Ottonis Von Jörn.



Hymenæus

In nuptiis auspiciatissimis

LECTISSIMI PARIS,

VIRI

Reverendi & doctissimi

Dn. M. CAROLI SACHSII,

Divina oracula in Servest. parœciæ

Ecclesiâ Negholzianâ ὀρθοτομῶν

S P O N S I, ὀρθοτομῶν

*Virginis, Pudicitia, morumq; elegantium laude
laudatissima,*

ANNÆ, SPONSÆ,

Viri Reverendi & Clarissimi

Dn. M. MARTINI FÜSSELII, Ecclesiæ

Servest. ad B. Barthol. Pastoris vigilantissimi,

Ecclesiarum Anhaltinarum cis Albim Superintenden-
dentis gravissimi, Theologiæ in illustri Sorabo-
rum Gymnasio Professoris solertissimi,

Filiæ Primogenitæ,

Anno salutis per Christum parte

M D C X I I I . X I V . Junij

Servestæ auspiciatò celebratis,


Celebratus & decantatus

ab

AUSPICIBUS AMICIS.

SERVESTÆ, excudebat Zacharias Dörfferus.







AD

Reverendum, pietate & doctrinâ
ornatissimum Virum,

Dn. M. CAROLUM SACHSIUM &c.
Sponsum, affinem & amicum colen-
dum.

Non plures unâ prohibens attingere solùm,
Sed celibatus vota dissuadens simul,
Unius uxoris Paulus vult esse maritum,
Sacri serentem voce verbi semina.

Nam veluti plures unâ qui ducit, ab ævi
Primordio sancita violat fœdera:

Sic tædas quisquis planè contemnit, ab orbis
Exordio sancita temnit fœdera.

Te dignum ergo facis, vitâ quòd celibe spretâ,

CAROLE, ANNULAM tibi adjugas FÜSSELI-

Quâ cum traducas superantis tempora vitæ, (A M,
Prolem tui quæ gignat ac similem sui.

Culturâ quam tu morum formabis & arte,

Cunis ab ipsis, qua PARENS talem tuus

Effinxit te, qua fidi effinxere magistri,

GOELENUS inter quos sibi primas capit.

A 2

En

*En dignos studii fructus, sanctiq; laboris,
Jovæ minister jure quos merito capis,
Perge ornare tuam, quod jam facis, ô bone, Spartã,
Novum ut cluas Ecclesiæ, SACHSI, decus.*

M. Johannes Theopoldus.



*Allusio ad nomina novorum Sponsorum
Sachsi & Füsselia:*

Quàm benè Füsselia innititur Saxo.

SAxa procellosis tutissima fluctibus acta,
Hæc maria horrescens horrida, nauta petit.
Saxa aulæatis immobilis anchora tectis,
Hæc, Te, qui quærit, judice, Christe, sapit.
Hæc, si fortè ruunt properati Aquilonib. imbres,
Sedibus haud metuens, Incola tutus habet.
Quàm bene, Füsselii virgo fata sanguine, Saxo
Maturè properas figere cauta pedem!
Hoc, si curarum montes volventur, & ima
Viscera pressabunt, nitere tuta pede.
Hoc, fata Füsselio, lapsum si fortè minari
Fata videbuntur, nitere tuta pede.

Et

Et tu, Saxo, tuam proram, puppimq; Carinamq;
Ad te delatum suscipe mitis onus.

Mite onus, haud oneri sed honori aliquando fu-

Hæc ubi Pyrrha tibi mitia Saxa dabit. (turū,

Tu modò, Magne DEUS, Saxum hoc, Saxoq; ca-

Füsseliam appulsam, fige, tuere, fove. (rinā

*Petrus Schuman, Desse Ver-
bi Minister.*



ΑΝΑΚΑΛΤΠΤΗΡΙΟΝ.

Μ Αἷς οἰαχοιο ὀρφῶς
Θρηίκι Ⓞ Τανύσας
Φόρμιγα ποικιλόγηρω
(Εὐρησιεπῶν αἰοιδῶν

Αἰνιγματῶδες ἄσμα)

Κίνησεν ὀκευόσας

Πέτρας, ρέεθρα, ἔρη,

Ἐφέσπονθ κελαδῶντι

Πέτρας, ρέεθρα, ἔρη,

Ὀρφάδων θορῶντα

Νυμφῶν δικλῶ αἰοιδοῖς

Τολμᾶν ἅπαντά ὄντιν.

Ἐμοὶ δὲ ἐτήτυμα αὐδᾶν

ὄκ ἔστι; πῶς; κρυφαίη

Ατρεκίη σενάξη;

Αγνωμοζυῶντε μισῶν

Αιπίωσ ἀναύδων

Δακρύσση; ἔγνοιτο.

Ψυχὴ ἀναξιφόρμιγξ

Ὀρφῆ Ⓞ ἦδη εἰς Φῶς

Παλίμψυχ Ⓞ κατῆλθε,

Ὀπλισμένη λιγείη

Φόρμιγγι ἐνεαχόρδω.

Χορδᾶς πῖφαισκε μῦσα.

Πρώτη μὲν Ὀσεβίη ἔτι

Δεύτερη δ' αἰσινὴς Φεῶ,

Τρίτη, ἀπλότης ἐρατῆν,

Τετάρτη, ἀγνὸν ἦθ Ⓞ,

Πέμπτη, περιπυσυν εἶδ Ⓞ,

Ἑκτη, ἔρωσ μόγοιο,

Ἑβδόμη, ὑπήκο Ⓞ νῆς,

Ὀγδόη, Ὀπρεπείη

Ἐνάτη Ὀμυρείη.

Χορδᾶς δὲ ὡς Τανύσας

Εὐτροχάλοιο κραιπνόν

Μέλ Ⓞ κανάχησεν αὐδῆς,

Θαυμασὸν ἠνίδ' ἔργον,

Ὀξέσον ἔασυτ' ἔργον

Μέγα χερμάδιον, ὄρα μλυτῆ

Ὀρφῆ Ⓞ εἰς μέλαθρα.

Θαυμα-

Θαυμαστότερον δὲ ἔργον,
περιπλακὲν πανάγνω
Ψυχῇ, πόθῳ τυπέσῃ
Ἀδιάσπαστον ἐνώθη.
Ἵμνεῖτε, μέλαι, ὕμνον
Ἄδω λιπέσα πατρὸς
Ψυχῇ, πάλιν λιγφῆς
Φόρμιγγι ἄρου ὀμφλῷ
Πέτρας πάλιν βαρείας

Ἔθισε πρὸς χορείας
Ἵμνεῖτε μέλαι ὕμνον,
Ἄδω δρομόνι ἵπποις
Φαέθονι ἐμπύρσι
Σημεῖα ζωδιόκοιο
Ὀρφῶς λυρίσῃ ἄλλῃ.

M. Marcus Fridericus Wende-
linus Rector.

Lustris qui vitam denis & quattuor egit,
Languidus erumnis atq; labore senex,
Est excusatus meritò, si non hymenæum
Ac thalami blando carmine festa canat.
Ergo aliis tradens chelyn hanc, ego munus obibo
Deinceps, quod proprium ducitur esse senum:
Et sine Pieria resonantis Apollinis arte,
Pro sponsis tacitas Christo adhibebo preces.

Ἐργα νέων, βελαὶ δὲ μέσων, ἄχα δὲ γερόντων.
Ταῦτα δὲ συγχύνειν σὺκ' αὖν ἔπαινε ἔην.

M. Johannes Ursinus Septuagenarius
scribebat Servestæ. 6. Junii,
Anno 1613.

Ad Rev. Dn. Sponsum.

Quæ sisti vitæ sociam, comitemq; laborum:
Quæ sensus recreet, fessaq; membra levet,
O fa-

O sapiens factum ! veluti nam dura laborum
Commodius geminâ sarcina fertur ope:
Sic castæ non est consortis certius ullum
Auxilio, quoties fors ferit atra caput.
Hac careas, precor: at tristi cùm clade refertum
Sit genus hoc vitæ, prospiciente DEO:
ANNA tibi rebus solamen præstet in arctis:
Alternasq; pari reddat amore vices.
Quin sobolem pariat, venturis semina seclis,
Quæ claros vobis indole reddat avos.
Prolis & ut crescat numerus, superetis uterq;,
Sponsa Sibyllinos, Nestoris ipse dies.
Hæc est summa precum. Precibus de corde pro-
Annuat altitonans, qui regit astra, Pater. (fectis
Plura daturus eram: sed tunc urebar anhelâ
Febre: nec ingenio vis erat ulla meo.
Ergo, si desunt, ut desunt, plurima: Candor
Expleat. Hoc an quid gratius esse potest?

*Abrahamus Cremerus, Minister verbi divini,
Servesta, ad D. Bartholom:*

Cum Samuel, sacro designaturus olivo
Isacidis regem præcipiente DEO,
Enatis Jessæ nunc hunc, nunc cerneret illum,
Non prius invenit, qui inveniendus erat,
Quàm

Quàm minimum accersi jussisset rure, paternos
 Pascere cui studium læta per arva greges,
 Et monitu arcano DEUS ipsi diceret: Hic est,
 Surge age, & hunc oleo mox mihi inunge sacro,
 Fallor, an hæc, thalami sociam tibi, SPONSE, domoq;
 Quærenti dominam, causa erat una moræ:
 Causa moræ, binos quam cælebs hæctenus annos
 Traxti, cum Dominam posceret ipsa domus.
 Tu quoq; vidisti nunc hanc, nunc anxius illam,
 Quasq; alias nymphas Ascana habebat humus:
 Vidisti nymphas, dico, & fortasse, putasti,
 Hæc, illa, ista mihi est lege juganda tori.
 Haud tamen, haud indaganti tibi tempore tanto
 Est inventa prius, quæ invenienda fuit,
 Quàm procul ignotis Serbestam adduceret oris,
 Cui suavis nomen Gratia suave dedit,
 Instinctuq; DEUS tacito tibi diceret: Hæc est,
 Quam dominam domui do, sociamq; toro.
 Scilicet imperiis qui reges destinat, idem
 Confortes thalamis, & domibus dominas,
 Et quos ante alios amat, his velut indice monstrat,
 Ac vitæ sociam dat columenq; domûs.
 Ergo tuæ faveo forti, quæ, Sponse, cupitâ
 Virgine compensat tædia longa moræ,
 Compensetq; DEO, precor, indulgente suâve,
 Quod Sponsæ spondent nomina, Conjugium.
 Sponsæ nempe satæ Patre, cujus ab ore docentis
 Suaviloquo pendens concio sacra stupet.
 Insita (quis dubitet?) cum semine Gratia linguæ est,
 Et linguâ morum Gratia pulcra magis,
 Ac mite ingenium, & pietatis nobilis ardor,
 Quæ poterit curas ANNA levare tuas.
 His si prætereà DEUS addet, ut agmine prolis
 Pulcro ornet mensas exhilaretq; domum,

Ma-

Matris ad exemplum quod ritè precamur amici,
Conjugii fuerit Gratia quanta tui!
Tali conjugio, tali consorte beantur
Qui puroq; timent corde coluntq; DEUM.

Martinus Quelmaltius, Pastor
Anconensis.



AD SPONSUM.

Pastor es, & fidei pascendam tradidit *Agnam*
FUSSELIO sacram *CAROLE* Jhova tuæ:
Quam grato foveas gremio studioq; fideli
Post ducas grati læta per arva soli.
Suscipe quam tradit pascendam quamq; foven-
Agnam, & jucundo pasce foveq; sinu. (dam
Post etiam viridis commissam suaviter *Agnam*
Mitia per campi pabula pasce pedo.
Pasce pedo molli, non vi trahe mitis amica
Errantem revocans corrige voce, pedo.
Tempore sic justo lanam, sic fœnore multo
Producet domui vellera grata tuæ.
Ubera præbebit sic & lactantia, & *agnis*
Ornabit teneris *Agnam* subinde domum.

M. Petrus à Jebra Sponsi
Consobrinus.

B

ALIUD.

A L I U D.

M Irare, credo, Sponse amice, Palladis
Cultor fidelis, & Dei ter optimi
Mystes sacer, mirare, quod tædis tuis
Operosa non fingam, canamq; carmina?
Requirat hocce nostra cum fraternitas
Et dulcis olim nostra conversatio.
Mirarier sed desine! Potius velim
Putes, labores muneris mei, & breve
Tempus, mihi rapuisse cunctam carminis
Et ansam & otium. Interim votum accipe,
Votum, quod unum sit vel instar millium:
Tale sit hoc vestrum, quale esse vir optimus optat,
Optima quale suum femina CONJUGIUM.

Christophorus Lelmius, Ecclesiæ
Gernrodanæ Diaconus & Scho-
læ Rector.

A L I U D.

DUM mirâ ætherei, Frater, bonitate Parentis
Conjugii castum foedus inire paras:
Ne

Ne tristem solus peragas sine compare vitam,
Verum eat in thalamum virgo petita tuum:
Virgo quam pietas commendat & inclyta virtus,
Virgo pudicitiae flore, rubore nitens:
Quidni cum tædis jam fausta precentur amici,
Me, Germane, tuis jungere vota juvet?
Gratulor ergo tibi tali consorte repertâ,
Est quæ virtutis, quæ studiosa tui.
Sit sincerus amor vobis fœcundus & ardens,
Sit vobis pariter vivere, dulce mori.
Accubet ad vestrum solers Concordia lectum,
Et liget amborum pectora junctâ Fides.
Sit felix hoc conjugium te præside, Christe,
Præside quo poterit nulla deesse salus.
Omnia fac adsint nuptis; fac omnia ut absint,
Quæ vel adesse juvat, quæ vel adesse nocet.

Germano suo cariss. scribe-
bat Bernburgi

M. David Sachsius, Sponsi Fr.
ortu Secundus.



A L I U D.

ERgô, SOROR, patrii linquens consortia tecti
Caros parentes desereres?

B 2

Quid

Quid fratres? (num friget amor?) carosq; paren-
Menſæ mariti poſthabes? (tes
Illa propinquorum quid conſuetudo tuorum
Ingrata jam planè eſt tibi?
Scilicet illa DEI vox eſt tibi nota: *Maritus*
Cum matre patrem deſeret,
Conjugis affixus, caſtoq; infixus amori:
Idem puella factitat,
Ducta viri amplexu fratres carosq; parentes
Unum ob maritum deſerit.
Fruſtrà igitur tentet, qui te velit inter eundem
Morari & eſſe obſtaculo.
Te ſincerus amor trahit, attrahit inde *Maritus*
Inſignis arte SACHSIUS.
Scilicet illius vox eſt te, *Sponsa*, vocantis
Quàm *noſtra* longè gratior.
Ipſe etiam tentabo nihil: *cariffima* perge
Soror, bono perge omine.
En tibi conjugii ſocium, *Sponſa*, accipe *Sponſum*:
Fatum tibi hunc jungit DEI,
Sponſum ſincerâ pietate verere, perenni
Amore perge amplectier:
Hoc lætare diu, multos & vive per annos,
Ex corde *fraterno* precor.

Tum

Tum procul à vobis Dominus mala cuncta repel-
Nil vestra turbet gaudia: (let
Vivite concordēs animis, & in arce supernâ
Vitam agite læti cœlicam.

Martinus Füsselius Glogâ-Silesius
Sponsæ Frater f.



Ad Reverendum Dn. Sponsum.

DIVINI tandem quæ te rapit aura favoris?
Jura feres sancto tu nova conjugio?
CAROLE, præco Dei, verbi reverende minister,
O sophici, SACHSI, portio docta chori.
Unius esto maris femellæ & copula: Lex est:
Unum at te triplici conjugē fata beant.
Post vigili imbibitam SOPHIEN junctamq; labore,
Sanctâq; post cœtus vincula sancta DEI.
VIRGINIS & tandem volupe est petiisse ligamen?
Quid? Quoties animo spicula fixit Amor?
Non equidem in video, nova nec reprehendere jura
Audeo, sed thalamo vota precesq; fero:
Doctus amare libroses, Christi doctus amare
Cœtum, Virgineum doctus amare decus.

B 3

Quis

Quis neget, hem! triplicis te Conjugis esse maritum?

Prima parans thalami Tertia festa paras.

Prima tibi Sophie est, data dein tibi Concio conjux

Altera, jam conjux Annula tertia erit:

Annula, quæ thalamum, digitos velut annulus, or-

Annula, quam pietas, fama, coronat amor. (nat

Annula, Fuselio patre quæ prognata verendo,

Pectore cui candor, cui sedet ore lepor:

Cui sua persolvent præconia debita Musæ,

Si meliora dabit plectra lyramq; DEUS.

Hinc calido triplices sentiscis pectore curas,

Et labor est triplex, & triplicatus amor:

Quicquid agas, & respicias quocunq; laborum,

Ætna parata tibi, cura parata tibi:

Dat Sophie curas, dant & sacra templa labores,

Est non exiguus, quem feret Anna, labor:

Et triplex triplici Conjux te ornavit honore

Cui studium, curam, tempus & omne locas.

Prima MAGISTERII Kirchnero dante corollam,

Præside Goclenio Martis in urbe dedit.

Alterate VERBI fecit cum laude MINISTRUM,

Querceti inde DEI dogmata sacra sonas.

Tertia sed SPONSIO nomen titulumq; MARITI,

CONJUGIS atq; pii non sine laude dedit.

Quin

Quin & , ne dubita , successu temporis olim
Te vegetum faciet prole frequente P A T R E M .
Quod fusis animo votis contendere tendo ,
Tu , quæso , votis anime , magne D E U S :
Et procul à tædis , fac , cedant tædia , prome ,
Quæ recreare queant , quæq; beare queant .
Sic triplici fueris , tu Sponse , in amore beatus ,
Templa onerant , Sophieq; , ANNA levamen erit .
Omnia stent votis : tenui quid carmine majus
Comprecer , haud video .

faustissima congratulationis ergo

Abraham Theopoldus Ser-
vestâ - Anhaltinus .

UT nova ferta novo præcingant tempora Sponso,
Quas frondes , Dryades , quos collegisse per hortos ,
Quodvè decus florum placet ? an rutilante metallo
Hesperidum nitidos frutices , an fronde superbam
Auricomâ Xerxis platanum , vitivè racemos ,
Olim quam Romana suos invisere muros
Urbs vidit , Syriâ ducens de gente triumphum ?
Annè rosas potius Sarrano murice tinctas ,
Narcissumvè sui lugentem crimina fastus ,
Aut sumsisse juvat Caltham , Roremvè marinum ,

Atq;

Atq; croco similes violas, queis suevit amantum
Tingere corda puer Veneris, floresvè sacratos,
Prisca superstitio queis nuptis stemma parabat?
Cedite, si vobis sunt talia munera curæ:
Ipsius è Sponsi querceto carpite ramos,
Quod vates colit imperio, jussuq; Tonantis.
Pergite querceto, Dryades, decerpere ramos,
Non sine felici neçtentes omine ferta:
Sic vos Flora jubet, sic ominis autor Apollo.
Complacuit Saturnigenæ gratissima Quercus,
Sola ex arboribus cunctis: hac ipse capillos
Impediebat ovans, favos cum carne remotâ
Mortales docuit rigidas depromere glandes.
Sic igitur superi discas hac arbore Patris,
Sponse, tibi, Sponsæq; tuæ, sperare favorem;
Quam tecum vitam spernes florere per omnem,
Et fortunatos ex se numerare nepotes:
Ceu sæcunda seges terrâ protrudit aristas:
Et gravido crescunt dulces in palmite gemmæ:
Et quercus virides extollit ad æthera frondes.
Movit vocales ad fana molossia quercus
Altitonans: quoties geminas Dodona columbas
Audiit è ramis cœlestia sensa canentes.
Et tua divinas voces Querceta sonabunt,
Eloquiis attracta tuis, Suadâq; potenti:
Mystica dum verbi per parvum Semina cætum,
Et benedictorum sparges per tecta Penatum.
Gratas profudit priscis mortalibus escas
Quercus, & instruxit proventu divite mensas.
Sed magè felici cornu te larga beabit
Copia: & è Divûm manans Benedictio fonte
Teq;, Tuamq; bonis faciet ditescere cunctis.
Quin & blanda quies Vobis, Charitumq; caterva;
Atq; exosa feras aderit concordia rixas;

Pax

Pax oleâ redimita comas, frontemq; serenam;
 Circum tecta ruet semper, thalamumq; fovebit:
 Longè ut possitis Pyliam superare senectam,
 Cordifragis vacui curis, morbisq; malignis.
 Quod si quando gravet lætam crux aspera sortem:
 (Namq; etiam feriunt interdum fulmina Quercum,
 Ipsa licet quercus semper sit chara Tonanti)
 Non tamen æterno quassabit turbine Caurus
 Gargani Querceta: ferox ast concidet æstus:
 Gravior & veniet post turbida nubila Titan.
 Quernea ferta dedit servati præmia civis
 Curia Romulidum, regni dum sceptrâ teneret.
 Sic ubi commissæ post præstita munia spartæ,
 Teq; tuosq; polo servâris: aurea cinget
 Vitam pertæsos fragilem, gemmansq; corona,
 Quam cœlo reddet clementis dextera Jovæ.
 En tibi, de quereu ferimus quas, Sponse, corollas:
 Omnia firmabit, solus qui vota secundat:
 Et votis majora dabit, sic auguror, istis.

Honoris ergò

Samuel Specht/Glog. Sil.

ECHO NUPTIALIS.

D IC Atlantiades, reboënt qua gaudia?
 Sachsiadi templum suavia clamat,
 Echo nunc carmen deprome nitoris
 Vox tibi nam rebus consolidata
 Verbula decanta Sponsi redamantis
 Cum sponsa is capiet gaudia vera
 Musa refer, qualis sit Sponsa propago?
 Num proba, num prudens, pulcra, beata,

Dia
 amat.
 Sponsa,
 data,
 ECHO, amantis,
 mera.
 Virago:
 rata.

C

Anne

Anne & formosa haec est FUSSELLIANA?

*Hæc pede amica torum lætaq; vadit
O bene! cum sponso nunc sponsa laboret
Sic thalamo capient maxima dona
Echo sed mihi dic num sponsa verenda?
Gaudeat & quare tu refer, oro,
Anne etiam sponsus contemnit fana?
Plenus amore novo nunc redamans
Is felix: sponsam decet Hunc refovere,
Dicitur hinc sponsus tempore veris
Det Dominus longum cum sponsa vivere
Fama tuumq; decus laude propaget,
Christe, fave ceptis, restaura perditæ,
Sanctæ fides sponsis, vitæq; grata
Quid precer ulterius? thalamo absit plangor
ANNULA sit curis dulce levamen.*

*Diana,
adit.*

*& oret,
bona.*

*ECHO. ferenda,
toro.
profana:
fit amans.
fovere,
eris,
verè
aget:
dita,*

*ECHO. nata.
& angor,
AMEN.*

Godefridus Schawer Bernburg.



AD REV. DN. SPONSUM.

I Am procul omne nemus resonat: iam dulcis hirundo
Garrit, & optatam gratanti voce salut at
Lætior æstatem: liquido jam pendula cælo
Spontè canit castita Deum: & speculata colonum,
Visentem messes, Di, Di, Dii, inquit, avete.
Me quoq; læta dies, puro signanda metallo,
Rumpere gratanti longinqua silentia versu
Cogit, & inceptos hymenei mitis honores
Solenni celebrare metro: dum numine fausto,
Nupta occursuro pectusq; & brachia Sponso
Porrigit, & socium vitæq; toriq; salut at.
Incipe, Sponse, novum mecum melos, incipe mecum:
Iam meritis tibi surgit honor: tibi lumine festo

Candi-

*Candidior cygnis & turture mitior, ANNA,
Luceolis frontem violis & tempora pingit.*

*Incipe, Sponse, novum mecum melos, incipe mecum.
O tanto letare bono, quod gratia cæli
Non dat habere malis: Sed iis demum omine dextro
Attribuit, quæis pura Dei reverentia cura est!
Hoc ut captaret, quid non faciebat Isacus?*

*Incipe, Sponse, novum mecum melos, incipe mecum.
Omnia iam vident: spumanti Copia cornu
Omnia perfundit iam pascua: Spicæ flavent
Rura: virent montes: grex laniger ubera gestat
Turgida: avent omnes: at cum castissima vestros
Nympha colet campos; colles quoq;, Sponse, videbis
Exultare cævos: Satyros imitabitur agnus
Saltantes: armenta boum, meritiq; iuveni
Latius è pastu nota ad præsepia tendent.*

*Incipe, Sponse, novum mecum melos, incipe mecum.
Est vitis Baccho gratissima, laurea Phæbo:
At Sponsæ Quercetæ placent: dumq; ista placebunt,
Nec vitis vincet Quercum, nec laurea Phæbi.*

*Incipe, Sponse, novum mecum melos, incipe mecum.
Vivite felices: vestrum nec turbet amorem
Parca: triseclisenis producite Nestoris annos.
Tu verò, pia Nupta, tui sacra limina Sponsi
Ingredere, ac eius te letæ penatibus infer.
Ne pudeat lustrare pecus florentibus arvis,
Balantumq; gregem viridi compellere ramo.
Et tenera hirsutos pavit Rebecca Camelos.
Iunoni placet altæ Samos, sua Delphica Phæbo
Templa, Paphos Veneri: Vobis ante omnia sylvæ,
Atq; serenati placeant commercia ruris.
Hic ubi letæ quies: ubi nescia fallere vita.*

Desine, Sponse melos producere, desine mecum.

Christoph. Schmid. Freist. Silcs.



Votum Nuptiale.

DENT alii pateras, vel flavi dona Metallī,
Dent alii gemmas, queis maris unda scatet.
Ast ego vota dabo, votis stat aperta Tonantis
Auris, vota Deum pectore ducta trahunt.
Nestoris exuperes sociā cum conjugē Iustra,
Sitis concordēs, prospera cuncta fluant,
Nec prius exanguis depascat corpora morbus,
Aëra quàm possint pervolitare boves.
Deniq; cernatis fœcundâ prole parentes
Natos. Hæc animi vota precesq; mei.

deproperabat

Christianus Langius Desfaviensis.

MAGISTER CAROLUS SAXO SPONSUS.
VIRGO ANNA FISSELS NYMPHA.

Anagramma.

Sponsus. COR INGEMIT, O PUPILLA SURGIS? MEN?
Sponsa. FAXO, SIS SANUS.

QVousq; tandem Diva potens Cypri
Fremis? Cupido Cyprigenæ genus
Quousq; tandem frendis in me
Letiferas acuens sagittas?

Cor

Cor ingemio, nam carpitur ignibus;
Membra æstuant, nam vulnus alunt; adest
Tandem misertus quis Machaon?
Quis Podalirius aut Apollo?
O grata grato lumine gratior
Pupilla surgis! Men rosa Baltica
Sanas? citato adcurrere gresu
Quò releves, recreesq; amicum.
Sis faxo sanus: Brachia brachiis
Junctus rubellis basia fer labris
Sexcenta, sic cedente morbo
Mox relevatus eris. Placet ne?

Chronodistichon.

CanCer seX, ternos, aC qVinqVe absolVerat aXes
QVanDo tIbI SaXo beLLa pueLLa dat Vr.

Votum,

sIt Is feLICES ConCorDI peCtore, teDIs
AbsIt EnTo proCVL.

Erasmus Matthiæ Magdeburg.



A L I U D.

O Fortunatos, ô terq; quaterq; beatos
Quos amor unanimis jungit & una domus;
Hos non confundet diri Cacodæmonis astus:
Nec mala turbabunt tristia mole gravi.

C 3

Et

Et cum versabunt tristes sub pectore curas,
(Quod procul hinc absit) mutua vota dabunt.
Hoc sentire tibi datur ô lectissime Sponse,
Qui sacra conjugii fœdera ritè colis.
Vivite felices Sponsi, fovæq; favorem
Sentite: Asmodei sit procul omne malum.

Joachimus Rismanus Glogâ-SiL:

AN chare invideam, gratuler an tibi
Frater? Tu celeri prima petis pede,
At nos ima tenent; ingenuis caput
Dum doctum artibus expolis;
Pallas te voluit laude Magister I
Clarum, digna loco te Theosophia
Primo constituit, Christicolis viam,
Quæ pandat faciles polos,
Ut monstres, vigilem quòq; habeas gregis
Curam: Nunc triplici perpetuus favor
Divûm te cumulat laudis adoreâ,
Hoc doctrina tibi parat.
Sed te cārminibus nunc celebrabimus,
Te nostræ cytharæ haud immeritò sonus

Pan-

*Panget ; Nam tua sors noster honor , salus
Nobis est tua gloria.*

*Fœlix vive igitur laudis adoreâ
Hac trinâ locuples, Conjugium tibi
Blandum, Nestoreis amula seculis
Ævi tempora transige.*

Daniel Sachsus Sponsi Fr.
ortu tertius.



A L I U D.

Fausta dies tandem illuxit, carissime frater,
Quâ celebras thalamo festa parata tuo.
Scilicet, ô frater, divino munere tandem
Contigit ex voto casta virago tibi :
Quæ reliquis genere est claro anteferenda puellis
Moribus ingenuis & pietate simul.
Et testari equidem nonnullo carmine certè
Gaudia debebam lætitiâq; meam.
At quoniam bellè metricis includere nondum
Ipse puer possum plurima verba modis.
En mea vota tamen divina ad Numina, faustum
Ut sit conjugium, fundo precorq;, tuum.

Legat-

Legatumq; suum Deus alto mittat Olympo,
Qui te, qui Sponsam protegat atq; tuam,
Ipse mala avertat, litesq; & jurgia pellat,
Vos etiam multâ deniq; prole beet.

*Ernestus Sachsius Sponsi Fr.
ortu quartus.*

F I N I S.



Nr 3027.

8

ULB Halle 3
002 804 379




77 → 01


VJ 77

Retros

M







M
H Y M E N Æ U S
In nuptiis auspiciatissimis
LECTISSIMI PARIS,
V I R I
Reverendi & doctissimi
Dn. M. CAROLI SACHSII,
Divina oracula in Servest. parœciæ
Ecclesiâ Negholzianâ ὀρθοτομῶν,
S P O N S I, ὀρθοτομῶν
& ὀρθοτομῶν
Virginis, Pudicitia, morumq; elegantium laude
laudatissima,
ANNÆ, SPONSÆ,
Viri Reverendi & Clarissimi
Dn. M. MARTINI FÜSSELII, Ecclesiæ
Servest. ad B. Barthol. Pastoris vigilantissimi,
Ecclesiarum Anhaltinarum cis Albim Superinten-
dentis gravissimi, Theologiæ in illustri Sorabo-
rum Gymnasio Professoris solertissimi,
Filiæ Primogenitæ,
Anno salutis per Christum parte
M D C X I I I . X I V . Junij
Servestæ auspiciatò celebratis,
Celebratus & decantatus
ab
AUSPICIBUS AMICIS.

SERVESTÆ, excudebat Zacharias Dörfferus.